



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Directorivm Ecclesiasticae Disciplinae, Coloniensi
praesertim Ecclesiae accommodatum**

Frangipani, Ottavio Mirto

Coloniae Agrippinae, 1597

VD16 F 2269

De Sacramento Pœnitentiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62032)

DE SACRAMENTO

POENITENTIAE.

Sacramentum Pœnitentiæ, quod lapsis post Baptif-
 Smum ad salutem necessarium est, vt nondum renatis ipse Baptifmus; & ceu fundamentum, ianua, virtus ac ro-
 bur est omnis Ecclesiasticæ reformationis, ac puritatis: eo magis omni studio, contentione, ac diligentia, tractã-
 dum & excolendum censemus; quod eius negligentia, ac imperita tractatione, videre est peccata inter Christia-
 nos latè regnare, eorumq; permultos, post susceptam pœnitentiam, non solum magna facilitate ac leuitate
 (perindè ac si nulla pœnitentiæ Sacramenti virtus ac fru-
 ctus esset) ad pristinam iniquitatem relabi; sed & in ma-
 gnâ impœnitentis cordis caliginem incidere: vt qui Sacramentum hoc, nudæ alicuius cæremoniæ loco ha-
 bere videntur, & non tam laborare, vt tacti dolore cor-
 dis intrinsecus, toto corde ad Deum cõuertantur; quàm pro more ac consuetudine populi Christiani, hoc fecisse
 dumtaxat videri velle. Pro legationis itaq; nostræ mune-
 re, ac Ecclesiasticæ reformationis necessitate, ad legitimi-
 mam Sacramenti huius administrationem, ad Sanctam ac salutarem eius frequentationem; hæc quæ sequuntur
 inuiolabiliter seruanda omnibus proponimus, & vsu ac obseruatione perpetua, confirmanda sancimus.

2. Cum absolutio Sacerdotis actus sit iurisdictionis, quo ab ipso, velut legitimo iudice, remissionis aut re-
 tentionis peccatorum sententia pronunciat; & satisfactio ac fructus pœnitentiæ digni præscribuntur; ideoq;
 excepto mortis articulo, qui omnib. Sacerdotibus quo-
 libet pœnitentes, à quibus is peccatis & censuris absol-
 uendi iurisdictionem tribuit, nullius momenti sit abso-
 lutio, quam Sacerdos in eum profert, in quem Ordina-
 riam aut subdelegatam non habet iurisdictionem: præ-
 cipimus

I.
 Concil. Trid.
 sess 14. cap. 20

Ibid. cap 7.

Ibid. sess. 23.
 cap. 15. Conc.
 prouinc. sub
 Nicol. Cusa.
 §. 15. p. 250. a.

Conc. pronin.
sub Adolp. 3.
in censuris et
Decretis. Ca.
Explora: ū
pa 455. b. Vi
de de hac re
Supra titulo
De religiosis
cap. De his
quæ ad cul
tum Dei. ar
ticulū Quod
in Cōcilio
et aliquot
sequentes.
pa 97. 98.

cipimus vt nullus etiam regularis, quantumuis exemptus, nec tempore quidem lubilæi, nec aliàs per rati habitationem quasi per tacitam licentiam & approbationem, seu quouis alio prætextu, cōfessiones secularium, etiam Sacerdotum audire præsumat (excepto dumtaxat mortis articulo) nisi aut parochiale habeat beneficium, aut ab Ordinario per examen, si ei videbitur necessarium, aut aliàs idoneus iudicatus fuerit, & approbationem (quæ gratis detur) in scriptis obtinuerit, priuilegijs & consuetudine quacunque, etiam immemorabili non obstantibus.

3. Ordinarij & alij quibuscunq; hæc examinandi, admittendi, & approbandi Sacerdotes, cura incumbit, non alios ad exercendam in foro consciētiae iudiciariam hæc Christi potestatem admittant; quàm qui ad præsentandam Christi personam, digni habentur, ac præter clauem potestatis & scientiæ, cor rectum habent, clauis amoris ac timoris Domini, zeloque salutis animarum, veritati ac iustitiæ tam firmè confixum; vt nec per inutilem verecundiam, nec per vanum timorem, aliumue prauum affectum silētio premāt quæ vel ad correptionem prudenter insinuanda, vel ad medicinam & emendationem salubriter præscribenda, vel ad competentem satisfactionem, cum Discretionē iniungenda fuissent: & qui illis præterea virtutibus præditi sint, quas in huiusmodi animarum iudicijs, Pastoribus, ac Medicis Concilium prouinciale sub Hermano Quinto habitum, parte 7. cap. 33. requirit. Alioqui, si prouehant eos, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident; qui cōsuunt puluillos, sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis; qui viuificant animas quæ non viuunt, & liniunt absq; temperatura; qui vulnera non circumligant, nec curant medicamine, neque fouent oleo: non minus se quàm illos peccare cognoscant, & hoc grauius, quo altiori præ illis

Ezechie. 13.
& Isaiæ 1.

illis loco consistunt, & ad resistendum iniquitati, auctoritatem maiorem acceperunt.

4. Quicumque legitimè admissus, & approbatus Ordinariam vel subdelegatam audiendi confessiones acceperit potestatem; non alios audiat, quàm quos nouerit, ordinariæ aut subdelegatæ iurisdictioni suæ esse subiectos; nec hos ab alijs vel peccatis vel censuris, absoluat, quàm à quibus pro accepta facultate, absoluere eos poterit: quæ si à parochò committente vices suas data fuerit, hoc tantum subdelegatum esse intelligatur quod ille potest ex ordinaria sua potestate, non autem ex speciali permissione.

5. Quicumque regularis seu secularis à Romano Pontifice, vel à quocunque alio, quam ab Ordinario suo acceperit potestatem exercendæ iurisdictionis, in foro conscientie, vel à casibus referuatis absoluendi; aut ea maiorem; eandem ne exerceat, antequam Ordinario, in cuius Diocesi illa exercenda est, huiusce permissionis authenticas litteras exhibuerit, & eius super hoc obtinuerit consensum. & si quis alieno Sacerdoti voluerit iusta de causa peccata sua confiteri, licentiam prius postulet & obtineat, à proprio Sacerdote. Saluis semper Apostolicis Indultis.

6. Quia ferè contingit vt propter imminentis mortis periculum; aut vim morbi, ægrotus magis peccata sua ponderet, eaq; melius & exactius confiteatur, quàm vnquam in vita sua fecerat: adeò vt subindè quidam peccata quædam tunc prodant, quæ ex humana verecundia, in multis præcedentibus confessionibus, scienter retulerant, vel non benè confessi erant: vigilantissimi ac diligentissimi in audiendis ægrotorum confessionibus sint sacerdotes, & studiosè ac amicè inquirant, num quid sit quod confiteri non ausint, vel in prioribus confessionibus confiteri scienter prætermiserint, aut non benè confessi fuerint; & si tale quid acciderit, propter quod

vn2.

Vide Diff.
83. per totum
Greg. hom 9.
in Euang.
† Conc. Trid.
sess. 14. ca 7.

Cap. Si Epif.
De penit. &
remiss.

Concil. 2. La-
terana. ca. 21. c.
Omnis v-
triusq; De
penit. & re-
missi Statut.
Sifrid cap 2.
pag 44. a.

vna vel plures repetendæ erunt confessiones, si valetudo permittat, detur pœnitenti tempus recogitandi ea tempora in amaritudine animæ suæ; & peccata mortalia etiam occultissima, & sola cogitatione perpetrata, quæ post legitimum conscientia examinem, ab vltima benè facta confessione occurrerint, distinctè & sigillatim confiteatur. Sin verò mortis periculum, aut aliud malum, temporis nullam patiatur dilationem; iuuet eum Sacerdos ex tempore, prout in Domino faciendum esse iudicabit, & peccata quæ eū fecisse arbitrabitur, sigillatim percurrendo, tardam ac impeditam eius confessionem expediat, eumq; amicissimè moneat, vt si superuixerit, aut malum quod timebatur non superuenerit, ad exactiorem confessionem se componat; ad quod cum crebra visitatione sua magis magisque animet, & si quid ei post vltimam confessionem in memoriam venerit, quod cōscientiam eius grauet, ab eo, si mortis, aut destitutionis linguæ, vel simile alterius mali perseueret periculum, eum mox liberet, & nihilominus si Deus ei vitam dederit, pleniorē confessionem expectet.

7. Sacerdos cum vocatus ad ægrorum, inuenerit illū iam parum mente ualentem, sequatur Consilium à P. Ioanne Polanco, cap. 15. methodi adiuuandi eos, qui moriuntur, propositum; & si illud malum ex vulnere, percussione, vel ex alia accepta iniuria acciderit, antè omnia instet, vt hanc & omnem aliam illatam sibi iniuriā, eius authoribus ex animo condonet.

8. Quandounque pœnitens vel ob imminentis mortis periculum, vel aliud legitimum impedimentum, currere ad illum non potest, cui absoluendi potestas seruata est, & idcirco ab eo à peccatis vel censuris tunc absoluitur, qui eum absoluere aliàs non valebat: moneatur, vt cessante periculo, aut impedimento, quàm citò commodè poterit, se ei præsentet, cui de iure talis absolutio competeat, aut eo nomine ad eum idoneum

Procu.

Ca Eos. De
sent. excom.
lib 6.
Vide ca 32.
Statut. VII
helm pa 183.
b. & supra
titul. De Sa
cramentorū
administ. ar.

Procuratorem mittat. Et si satisfacere canoni aut homi
ni teneatur, nec ante absolutionem, quod iura omnia
iubent satisfacere possit, det sufficientem cautionem cum
pignore vel fideiussore, aut si neutram dare possit, det
eam quam potest, saltem iuratoriam.

*tit. Nulli
absque pag.
440.
ca. Nuper.
De sent. ex-
com.*

9. Extra articulum mortis, Sacerdotes cum nihil
possint in casibus reseruat, quemadmodum nec sim-
plex Sacerdos, in ipso mortis articulo in peccatis mor-
talibus, quæ reseruata non sunt, quando Parochi vel al-
terius Sacerdotis Confessarij, ab Ordinario approbati
copia est: id vnum poenitentibus persuadere nitantur,
vt ad superiores, & legitimos Iudices, pro beneficio ab-
solutions accedant, vel ipsi ab iisdem impetrent absol-
uendi facultatem.

*Conc. Trid.
sess. 4. cap. 7.*

10. Casus Episcopales sunt hi. Homicidium; sacri-
legium; incendium ex deliberata voluntate procura-
tum; Sodomia; stuprum; raptus Virginum; incestus cum
consanguineis, aut sanctimonialibus; iniectio manu-
um violenta, deliberato proposito cum læsione in pa-
rentes facta; sortilegium; periurium factum in iudi-
dicio; violatio voti castitatis per contractum matrimo-
nij; adulterium notorium; indigna Sacramentorum,
acererum sacrarum tractatio, cui sacrilegium, aut simi-
lis iniuria, aut contumelia coniuncta est; hæresis; apo-
stasia; & omnia crimina præscriptis grauiora, quæque
vel excommunicationem maiorem, ab homine aut
canone latam annexam habent; vel publica poeniten-
tia castiganda sunt. In his tamen quæ occulta sunt lo-
cum habeat, moderatio capituli trigesimi septimi, partis
septimæ, Concilij Prouincialis sub Hermanno quinto
habiti. Et vt facilius pateat omnibus ad veniam aditus,
nullusque in adeundo eo, à quo absoluendus est cau-
sam prætexere possit difficultatis, præter Reueren. Archi-
episcopi Coloniensis Vicarium in Pontificalibus, & eius-
dem Vicarium in spiritualibus, aliosque eius poeniten-

*Statut. Sifr.
ca 8. pa. 42. e.*

Pa 384. e. d.

tiarios, quibus, quod attinet ad absolutionem casuum referuatorum, vices suas commisit: in primis Metropolitanæ Ecclesiæ Colonienfis presbyteri Canonici Theologi, deinde omnes intranei & extranei Collegiorum, & ruraliū Pastorū Decani, 4. quoq; primarum parochialiū Ecclesiarum ciuitatis Colonienfis Pastores, scilicet S. Martini, Columbæ, Laurentij, & Albani, nec non & Priores Ordinum mendicantium, ex permissione Concilij Prouincialis, sub Adolpho tertio habiti, facultatem habeant omnes sibi confessos, ab omnibus casibus Ordinario referuatis, in foro conscientiæ absoluendi.

*Concil pro
uinc sub A.
dolp. 3. habiti.
in cōfuri &
decretis. ca.
Insuper vt
conscien
tijs & c. pa.
455.*

*Pius 4. in
bulla refor
mat. S. Pœni
tentiaria Da
ta Romæ a
pud S. Petrū
1562. 4. non
Maij. Pont.
auno 3.*

*Calixt. epi. 3.
D. Cyprian.
li. 3. ep. 14. 15.
& 16. Stat.
Vilhel. ca.
11. pag. 63 c
d.*

*Stat. Herm.
4. §. 25. pag.
274. d.*

11. In recipiendis & absoluendis apostatis, illud ab omnibus obseruetur, vt nisi sincerè & ex animo promittat, se statim vel ad clastrū proprij Ordinis redituros, vel ad alium Ordinem æqualis vel arctioris obseruantia transfituros, vt perpetuam ibi vitam agant, absolutionis beneficium non consequantur.

12. Casus Papales in primis illi sunt, quos Bulla cœnæ Domini complectitur, quam vt & cæteros casus Romano Pontifici referuatos, cū ex alijs authoribus, qui de casibus conscientia scripserunt, tum ex Enchiridio Confessariorum, & pœnitentium Martini ab Azpilcueta, Doctoris Nauarri omnes Confessarij cognoscant, eosq; sæpè legant, expendant & ruminent, vt ne aliquando terminos iurisdictionis suæ transgrediendo, contra disciplinam Ecclesiæ faciant, quod ratum haberi nullaratio permittat, aliosq; decipiant, & seipos perdant. & Cōcionatores, processus in dicta Bulla contentos populo Christiano, pro concionibus suis, lingua vulgari, clarè ac distinctè publicent, nec non pœnarum ac censurarum, quæ transgressoribus infliguntur, vnumquemque sedulò præmoneant, quemadmodum Hermannus quartus, quotannis quater (circa ferias nimirum quatuor temporum) fieri voluit, ac omnibus Pastoribus mandauit.

13. Qui

13. Qui habent potestatem recipiendi & absoluendi hæreticos, non eos recipiant vel absoluant, nisi prius schisma, hæreses & errores suos publicè vel priuatim detestati fuerint, anathematizauerint, & abiurauerint, ac iureiurando promiserint, de cœtero ab huiusmodi Schismate, hæresi & erroribus, alijsque excessibus, penitus abstinere, fideique Catholicæ ad formulam, à Pio Papa Quarto præscriptam fecerint professionem; moneantque eos, si sacris Ordinibus initiati fuerint, ne eorum officijs ac ministerijs sese ingerant, priusquam irregularitate sublata, executioni Ordinum atque officiorum fuerint restituti.

ca. Conuenientibus. ca. Quoties. ca. Saluberrimum. 1. quest. 7. ca. Cum aliquis. 11. qu. 1. ca. Ego Berengarius. De conf. dist. 2. ca. Ut officium De heret. in 6. Conc. prou. sub Adol. 2. in cens. & Decr. ca. Cauent autem pa. 446. c. cap. Ventu. 1. qu. 1. cap. Si qui. cap. Qui in qualibet. 1. quest. 7. cap. Ad abolendam. tit. de heret. cap. Quicumque De heretic. in 6.

14. Ut Christi fideles saluberrimum pœnitentiæ medicamentum, non solum post lapsum suum diu non differant, sed pro fragilitatis suæ ratione, in frequenti adeoque perpetuò vsu habeant, non tantum canonem. *Omnes vtriusque sexus,* & quæ pro eius obseruatione, in prouincialibus ac Synodalibus Constitutionibus sancita & decreta sunt, Pastores ac Concionatores quotannis, statis temporibus publicent, verum etiam quæ de utilitate ac necessitate huius Sacramenti, in Catechismo Concilij Tridentini explicata sunt, frequenter & accuratè pro Concione populo exponant, eique tum ex eodem Catechismo, tum ex Directorio Polanci, & libello Sodalitatis Francisci Costeri, alijsque similibus perfectam & facilem confitendi methodum tradant; præcipuè autem illa & in confessionibus, & in concionibus, ac aliàs populo Christiano inculcent, sine quibus peccatorum remissio obtineri, aut esse perfectæ pœnitentiæ non potest; nec cœtera negligant, aut perfunctoriè prætereant, quæ ab ijsdem authoribus, ad honorem & reuerentiam Sacramenti, & congruam ac debitam corporis constitutionem,

Vide supra tit. De Pasto. ca. De munere prædicat. artic. Ac in itio. pa. 288. Vide Statut. Sifrid. ca. 8. pag. 41. b. 43. d. Syno. Diæ ces. anno 1330. sub Henrico habita. cap. 1. pag. 400. d.

tionem tam ad instructionem Confessariorum quam pœnitentium proponuntur.

15. Quod titulo de Sacramentorum administratione præcepimus, vt ne Sacramenta alibi quam loco sacro ad ministrantur: pro huius Sacramenti honore ac reuerentia, & confitentium atq; Confessariorum admonitione, hoc loco ex Statutis Sifridi, & VVilhelmi, sigillatim repetendum statuimus; mandantes omnibus & singulis Confessarijs, vt nunquam in priuatis ædibus, nisi ægritudinis causa Confessiones audiant, sed tantum in Ecclesia loco aperto, omniumque oculis exposito, & vel solis, vel candelarum lumine illustri; nec fœminæ Confessionem audiant, nisi aliquibus alijs ceu testibus præsentibus.

16. Præcipimus quoque vt ne Confessarius (nisi necessitas cogat) fœminæ illius Cõfessionem audiat, cum qua incontinentiæ peccatum commisit, nec socij vel fautoris peccati sui, sed talem ad alium idoneum Cõfessarium remittat. Si quis contra facere ausus fuerit, in eum Ordinarius, Ecclesiasticæ disciplinæ exempla edat.

17. Locus aut sedes Confessionis ita facta sit, vt inter Confitentem & alios, qui mox post eum confiteri cupiunt, aliquid interpositum sit, quod prohibeat, ne vox cõfidentis, aut Confessarij, multo minus verba ad illos deferri possint.

18. Ab omni Confidente maximè ignoto, inquirent omnes Confessarij, an excommunicatus sit; an iniuste aliquid possideat; an habeat debita occulta; an sit votis aut peregrinationibus obnoxius; & si in fundamentis religionis Christianæ rudis appareat, explorent præterea, an orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, præcepta Decalogi, ac Ecclesiæ teneat; & vnumquemque ad ea quæ facere tenetur, & rationibus, alijsq; modis & absolutionis suspensione (si opus fuerit) cogant.

19. Vota

19. Vota castitatis, obedientiæ, aut paupertatis à confitentibus, absque Ordinarij consilio, Confessarij siue saculares, siue regulares, quantumvis exempti, & privilegiati, nec exigant, nec admittant, neque vnquam Confitentes obligent, vt perpetuò sibi, nunquam alteri confiteantur. Quin verò etiam proprius Sacerdos, Cap. Omnis viriusq; De pœnit. & remiss. cui omnes & singuli de Iure quotannis confiteri tenentur, haud difficilis sit, vt alteri, quam sibi confiteri cupienti id permittat.

20. Si qui vel sponte sua, vel à Confessarijs inducti, voto aut promissione obstricti sunt, vel alio modo obligati, quod nunquam alteri confitebuntur præterquam ei, quem aut ipsi elegerant, aut qui hoc ab ipsis obtinuerat, eos ab eiusmodi votis, obligationibus, ac conscientiarum laqueis liberamus, illaque ceu impedimenta internæ puritatis, ac tranquillitatis, hoc Decreto nostro irrita facimus.

21. Vota quæ quandoq; occasione Iubilæi, aut Indulgentiarum, Confessariorum Iudicio commutanda permittuntur: vel in maiora pietatis opera, quæq; Deo gratiora futura sint; vel saltem in æq; pia Deoq; grata commutent: habeantque in facienda commutatione rationem laborum & sumptuum, quos pœnitens in perfolutione voti subire aut ferre debuisset, atq; omninò caueant, ne quid fiat in cuiusquam alterius præiudicium.

22. Per bullas & condonationes Romanorum Pontificum, etiam si clausulam habeant dispensandi super quibuslibet votis, & absoluendi à quibuslibet censuris & pœnis, non intelligant Confessarij, datam esse facultatem dispensandi, super irregularitate, nisi expressa illius in bullis facta fuerit mentio.

23. Pro iniungendis legitimis satisfactionibus meminerint Sacerdotes à Synodò Tridēna se esse admonitos, & instructos, vt quantum Spiritus & prudentia suggererit, pro qualitate criminum, & pœnitentiū facultate (vbi

Conc. Lateranens. 2 ca 21. Concil. Trid. sess 24. cap. 8. Cap. Confiteret De pœ

nit. *Dist. 5. Innocent. 1. epi. 1. ca. 7. D. Aug. in Enchirid. ca. 65. ca. Tempora. ca. De his. ca. Pro qualitate. ca. Aligent. 26. qu. 7. & cap. In actione. dist. 1. de pœnit. Synod. Remens. ca. 12. Synod. VVormat. ca. 7. Synod. Cabilon. tempore Caroli magni. ca. 35. cap. Falas. & ca. Fratres. De pœnit. *Dist. 5. Stat. Sifr. ca. 3. pa. 41. d. 42. d. 43 a. b. 44. a. Cap. Si quis de penis di. 2. † D. Aug. Enchir. ca. 78. et seq. * Ca. Ab infirmis. 26. quest. 7.**

contritionis habenda ratio & loca ac tempora regionis (consideranda) salutare & conuenientes satisfactiones iniungant; ne si fortè peccatis conuiueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera, pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur, habeantq; præ oculis, vt (sicut ab eadem Synodo præcipitur) satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem.

24. Qua in re ne facilè errent, docente † D. Aug. discant, peccata quæ sint leuia, quæq; graua, non humano sed diuino pensandum esse iudicio: & in præscribenda satisfactione ad praxim veteris Ecclesiæ, sanctorūq; patrum instructiones, ac facta, quantum fieri potest, proximè accedere contendant.

25. Aegris in periculo mortis positis, sciant pœnitentiæ quantitatem non esse indicendam sed indicendam, & amicorū orationibus, ac Eleëmofynis pœnitentiæ subleuandū si fortè migrauerint; sin autē conualuerint, pœnitentiæ modū à Sacerdote sibi impositum diligenter obseruent.

26. * Audita Pœnitentium confessione, & data absolutione, non mox omnem sollicitudinem, & iuuandi Pœnitentes animum Sacerdotes deponant; sed, vt veris Pastoribus ac animarum medicis congruit, orationibus, sacrificijs, alijsq; Pœnitentiæ & pietatis operibus eis opem ferre studeant; atq; non solum à peccatis, & peccatorum pœnis eos liberare, sed exercitio bonorum operum, ac contrariarum maximè peccatis quæ confessi erant, virtutum actionibus, ad summam virtutis perfectionem, pro cuiusq; capacitate & conditione, singulos prouehere contendant. Ad quod eos in primis vehementer iuuabit, frequens bonæ voluntatis innouatio: nimirum vt ad minimum manè, cum primū surrexerint, & vesperi antequam cubitum eant; diligenti conscientiæ examine in seip.

seipfos inquirant, & videant quantum à postrema volū-
tatis suæ innouatione, vel profecerint, vel defecerint.
Magna enim facilitatis recidēdi in peccata, causa est, in-
firmitas & inconstantia voluntatis, quæ ex impœnitentia,
& emendationis negligentia plurimū proficit. Ad ex-
cirandā autē promouendā & confirmādā hanc bonæ
voluntatis innouationem, proderit frequens & ardens
oratio, viua fides præsentia Dei & S. Angeli, peccatorum
confessio, S. Eucharistia deuota ac desiderata susceptio,
piorum librorum lectio, ac intenta eorum quæ lecta
sunt meditatio; potissimum meditatio causæ ac finis
creationis nostræ, quatuor nouissimorū, vitæ Christi ac
Sanctorum, qualitatum & effectuum, virtutum & vitio-
rum; infirmitatis tentantis Diaboli, carnis & mundi;
& contra, fortitudinis adiuuantis gratiæ Christi; nec non
& aliorum mediocum consideratio, quibus se quisq; in
pietate profecisse, & profectui suo adijcere animaduertit.
De his omnibus quisq; Confessarius pœnitentes suos di-
ligenter instruat, & pios libros vnde Spiritum bonum
concipiant, singulis pro captu suo commendet; cuius-
modi aliàs esse censuimus libellum sodalitatis P. Fran-
cisci Costeri, eiq; nunc addimus aureum de imitatione
Christi libellum *Qui sequitur me*, vulgò nuncupatum.
Neq; verò Confessarij tantum ista commendent; sed &
cuiusq; studium ac diligentiam in hisce præstandis cog-
noscant, tardiores sepè excitent; diligentes rectè dirigāt,
& si quos ad certum aliquod vitæ genus amplexandum
animum adijcere animaduertāt, vel de incundo vitæ ge-
nere deliberet, eis in primis scopū, in quem colli mare,
debent, diligentissimè considerandum proponant, vt
non alij vitæ generi se tradant, quàm per quod certius &
facilius saluandos se sperant.

27. Ad hæc & alia Confessariorū munia præstanda, qui-
que Pastores officiū audiendarū Confessionū, nullo ma-
ioris aut vtilioris studij vel occupationis prætextu, ita in
Sacel-

Sacellanos, & cooperarios reijciant, vt ipsi nunquam, aut rarissimè, ad audiendas subditorum suorum Confessiones, compareant; sed alios in auxilium oneris sui ita admittant, vt se veros ouium suarum Pastores esse demòstrent, & quæuis potius alia alijs, quam hanc animarum curam credant, de quibus ipsi discretam Deo reddere debebunt rationem; qui de manibus eorum non tantum animas perditas, sed & vsuras in singulis neglectas requirer. Quare ab omni re alia quæ ad Pastorale officium nõ pertinet sese prorsus expediant, & hisce animarum lucris maxima sollicitudine, ac deuotione inhæreant.

28. Sedulò curent, dentque operam quam possunt Pastores, vt parochiæ suæ pueri à teneris annis de modo cõfitendi exactissimè informentur, & in eo diligentissimè exercentur; atque ab optima horum institutione ac directione, omnium vitiorum monstra, à parochia sua tã procul exulare faciant, vt illis adolescentibus, ac ad virilem ætatem peruenientibus, illa inter illos ne nominentur quidem.

*Ezech 34.
D. Benedict.
in regula co.
2. D. Bernar.
lib. 4 De con
siderat.*

*Ca. Sacerdos.
De pœnitent.
dist. 6. cap.
Omni.
De pœnit. &
remiss. Stat.
Sifr. ca. 8 pa.
43. c.* 29. Quoniam Sacerdotes peccata eorumq; circumstantias, quæ per confessionem dumtaxat cognouerunt, non solum humano sed diuino quoq; iure, perpetuò teneantur cælare; nec eis, licet vlllo casu, verbo, signo, vel quouis alio modo, directè, vel indirectè citra permissionē cõfessis, prodere peccatorē; ne illum quidē, qui deliberatã retinens peccati alicuius voluntatē sine absolutione dimissus est: religioso silentij sigillo perpetuò cõsignata teneant, quæcunq; per confessionē dũtaxat cognouerunt; ita quidem vt si iuramento astringantur ad cognitã per confessionem veritatem aperiendam, absq; vlla periurij crimine liberè respondeant, ea omnia (quæcunq; hac tantũ via cognouerunt) sibi incognita esse, nec vlllo vel proposito præmio, vel supplicio intentato inducantur, vt sacrum Confessionis sigillum, vel ex parte vnquam violare præsumant, si quis id fecerit, ab audiendis Cõfessionibus in per-

in perpetuum suspendatur, & prout iuris est grauiter puniatur. Quod si quis super confessis consilio aliquando indigerit, illud ita requirat, vt peccati authorem nullo modo manifestationis periculo exponat.

30. Cætera quæ ad Confessarij ac confitentis munus rectè obeundum pertinent, cognoscant Confessarij, cū ex libris quos eis in præcedentibus commendauimus, tum ex libro Pastoralis Ecclesiæ Cathedralis, & ex cap. 8. Statutorum D. Sifridi, & parte septima Concilij Prouincialis sub Hermanno s. habiti, nec non ex opusculis & tractatibus D. Thomæ Aquinatis; De modo confitendi & puritate conscientiæ; De officio Sacerdotis ac Sacramentis, quos Concilium Prouinciale sub Nicolao de Cusa, perpetuò in eorum manibus esse voluit.

Supra eodem artic. 14.

Conc. prouin. sub Hermanno s. parte 7. ca. 30. 31. 32. &c.

Conc. prouin. sub Nicolao de Cusa. §. 3. pa. 247.

DE SACRAMENTO

EXTREMAE VNCTIONIS.

VT nullum tempus est, quo aduersarius noster ad perdendos nos, & à fiducia etiam diuinæ misericordiæ si possit deturbandos, omnes versutiæ suæ neruos vehementius intendat, quàm cum impendere nobis vitæ exitum prospicit, animique & corporis vires deficere: ita Pastorum & Concionatorum sedula charitas, magnoperè debet esse sollicita, vt Christianus quisq; in extremo illo agone, contra omnes Sathanæ insultus benè armatus sit, & in spem diuinæ misericordiæ eò magis erectus, quo humanæ infirmitatis virtus magis læguescit, & vnusquisq; moriens, ad ingrediēdas ignotas sibi futuri seculi vias, ob peccatorum suorum conscientiam, & abyssum iudiciorum Dei, magis timet magisque horret. Quare cum clementissimus Dominus ac redemptor noster, in extreme vnctionis Sacramento, Passionis suæ virtutem, in firmissimum exeuntium præsidium, plenissimamque consolationem reliquerit; nihil officij, studij, ac diligentia, vel à Concionatoribus & Catechistis, in Concioni-

I.

R r r

bus &